

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum  
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ  
lectionis vbique ratio habeatur

**Cicero, Marcus Tullius**

**Lvgdvni, 1586**

Oratio XLIII: In M. Antonium Philippica secunda

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)

IN M. ANTONIVM P. B.  
PHILIPPICA  
SECUNDA.

## ORATIO XLIIII.



VONAM meo fato, P. C. fieri dicam, ut nemo his annis uiginti reipub. hostis fuerit, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit? Nec uero necesse est à me quēquam nominari: \*uobiscum ipsi recordamini. mihi pœnarum illi, plus quam optarem, dederunt. Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere. Atq; hoc in alijs minus mirabar. \*nemo illorum mihi inimicus fuit uoluntarius: omnes à me reipub. causa laceffiti. tu ne uerbo quidem uiolatus, ut audacior quam L. Catilina, furiosior quam P. Clodius uiderere, ultro maledixisti me laceffisti, tuamq; à me alienationem ad ciues impios tibi gloria fore putauisti. Quid putem? contemptum me? non uideo nec in uita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenij quid despicere possit Antonius. An in senatu facile de me detrabi posse credidit? qui ordo clarissimis ciuibus bene gesta reipub. testimonium multis, mihi uni conseruata dedit. An decertare mecum uoluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est. quid enim plenius, quid uberius, quam mihi & pro me, & contra Antonium dicere? Illud profecto est: non existimauit sui similibus probari posse, se esse hostem patriæ, nisi mihi esset ini-

xxx

3

micus:



P. 161.

micus. Cui prius quam de ceteris rebus respondeo, de amicitia, quam à me uiolatam esse criminatus est, quod gravissimum crimen iudico, pauca dicamus. Contra rem suam uenisse me nescio quando, questus est. An ego non uenirem contra alienum pro familiari, & necessario meo? non uenirem contra gratiam, non uirtutis specie, sed atatis flore collectam: non uenirem contra iniuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non iure pratorio: sed hoc ita circo commemoratum à te puto, ut te infimo ordini commendares: cum omnes te recordarentur libertini generum, & liberos tuos nepotes Q. Fadij libertini hominis fuisse. At enim te in disciplinam meam tradideras: nam ita dixisti: domum meam uentituras, ne tu, si id fecisses, melius fama, melius pudicitia tua consulisses: sed nec fecisti, nec, si cuperes, tibi id per C. Curionem facere licuisset. Auguratus petitionem mihi te concessisse dixisti. O incredibilem audaciam! o impudentiam prædicandam! Quo enim tempore me augurem à toto collegio expetiturum, Cn. Pompeius & Q. Hortensius nominauerunt (neque enim licebat à plurius nominari) nec tu soluendo eras, nec te ullo modo, nisi euersa republica, fore incolumem putabas. Poteras autem eo tempore auguratum petere, cum in Italia Curio non esset? aut tum, cum es factus, unam tribum sine Curione ferre potuisses? cuius etiam familiares de ui condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent. At beneficio sum usus tuo, quo? quamquam illud ipsum, quod commemoras, semper præ me tuli. Malui me tibi debere confiteri, quam cuiquam minus prudenti non satis gratus uideri, sed quo beneficio? quod me Brundisij non occideris? quem ipse uictor, qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, saluum esse uoluisset, in Italiam



ire iussisset, eum tu occideres? fac potuisse, quod aliud, P. C. P. B.  
 beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, ipsi se vitam dedisse, quibus non ademerint? Quod si esset, beneficium, numquam illi, qui illum interfecerunt, a quo erant servati, quos tu ipse viros clarissimos appellare soles, tantam essent gloriam consecuti. Quale autem beneficium est, quod te abstineris\* nefario scelere? qua in re non tam iucundum uideri mihi debuit, non interfectum a te, quam miserum, id te impune facere potuisse. Sed sit beneficium, quandoquidem maius accipi a latrone nullum potuit. In quo potes me dicere ingratum? an de interitu reipublicæ queri non debui, ne in te ingratus uiderer? An illa querela misera quidem, & luctuosa, sed mihi pro hoc gradu, in quo me senatus, populusque Rom. collocavit, necessaria, quid dictum a me cum contumelia? quid non moderate? quid non amice? Quod quidem cuius temperantiæ fuit, de M. Antonio querentem, abstinere maledicto? præsertim cum tu reliquias reipublicæ dissipavisses, cum domi tuæ turpissimo mercatu omnia essent uenalia, cum leges eas, quæ numquam promulgatæ essent, & de te & a te latas confiterere: cum auspicia augur, intercessionem consul sustulisses: cum esses fœdissime stipatus armatis: cum omnes impuritates\* pudica in domo quotidie susciperes, uino, iustisque confectus. At ego, tamquam mihi cum M. Crasso contentio esset, quocum multæ, & magnæ fuerunt, non cum uno gladiatore nequissimo, de reipub. grauiter querens, de homine nihil dixi. Ita que hodie perfaciam, ut intelligat, quantum a me beneficium tum accepit. At etiam litteras, quas me sibi misisse diceret, recitauit homo & humanitatis expers, & uitæ communis ignarus. Quis enim umquam, qui paulum modo bono-

P. 162.



rum consuetudinem nosset, litteras ad se ab amico missas, offensione aliqua interposita, in medium protulit, palamq; recitauit? Quid est aliud, tollere e uita uita societatem? tollere amicorum colloquia absentium? quam multa ioca solent esse in epistolis, quae prolata si sint, inepta esse uideantur? quam multa seria, neque tamen ullo modo diuulganda? Sit hoc inhumanitatis\* tuae: stultitiam incredibilem uideate. Quid habes, quod mihi opponas, homo diserte? ut Mustela Tamisio, & Tironi Numisio uideris, qui cum hoc ipso tempore stent cum gladijs in conspectu senatus, ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios defensurus. Sed quid opponas tandem, si negem me umquam istas litteras ad te misisse? quo me teste conuincas? an chirographo? in quo habes scientiam quaestuosam, qui possis? sunt enim librarij manu. Iam in uideo magistro tuo, qui te tanta mercede, quantum iam proferam, nihil sapere docuit. Quid est minus non dico oratoris, sed hominis, quam obijcere aduersario, quod ille si uerbo negarit, longius progredi non possit, qui obiecerit? At ego non nego: teque in isto ipso conuincio non inhumanitatis solum, sed etiam amentia. Quod enim uerbum in istis litteris est non plenum humanitatis, officij, beneuolentiae? omne autem crimen tuum est, quod de te in his litteris non male existimem: quod scribam tamquam ad ciuem, tamquam ad bonum uirum, non tamquam ad sceleratum, & latronem. At ego tuas litteras, etsi iure poteram a te lacessitus, tamen non proferam: quibus petis, ut tibi per me liceat quaedam de exsilio reducere: adiurasque, id te, inuito me, non esse facturum, idque a me impetras. quid enim me interponere audaciae tuae, quam neq; auctoritas huius ordinis, neq; existimatio populi



populi Romani, neque leges ullæ possent coercere? uerum tamen quid erat, quod me rogares, si erat is, de quo rogabas, Caesaris lege reductus? sed uidelicet meam gratiam uoluit esse: in quo ne ipse quidem ulla esse poterat lege lata. Sed, cum mihi, patres conscripti, & pro me aliquid, & in M. Antonium multa dicenda sint: alterum peto a uobis, ut me pro me dicentem benigne alterum ipse efficiam, ut, contra illum cum dicam, attente audiatis. simul illud oro, si meam in omni uita, tam in dicendo moderationem, modestiamque cognoscitis, ne me hodie cum isti, ut pronocauit, respōdero, oblitum esse putetis mei. non tractabo ut consulem: ne ille quidem me ut cōsularē. et si ille nullo modo consul, uel quod ita uiuit, uel quod ita rēmp. gerit, uel quod ita factus est consul: ego sine ulla cōtrouersia consularis. Ut igitur intelligeretis, qualem ipse me cōsularē profiteretur, obiecit mihi consulatū meū: qui consularatus uerbo meus, P. C. re uester fuit. quid enim cōstitui, quid gessi, quid egi, nisi ex huius ordinis cōsilio, auctoritate, sententiā? Hæc tu, homo sapiens, non solū eloquēs, apud eos, quorum cōsilio, sapiētiaque gesta sunt, ausus es uituperare? Quis autem meum consulatū, præter P. Clodium, qui uituperaret, inuentus est? cuius quidem tibi factum, sicuti C. Curioni, manet: quoniam id domi tuæ est, quod fuit illorum utrique fatale. Nō placet M. Antonio consularatus meus: at placuit P. Seruilio, ut eum primum nōmen ex illius temporis consularibus, qui proxime est mortuus: placuit Q. Lucretio Catulo: cuius semper in hac rep. uiuet auctoritas: placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, C. Curioni, M. Lepido, C. Pisoni, M. Glabroni L. Volcatio, C. Figulo, D. Syllano, L. Murena, qui tunc erant cōsules designati: placuit idem, quod consularibus, M. Ca-



toni: qui cum multa uita excedens, prouidit, tum quod te consulem non uidit. Maxime uero consulatum meum Cn. Pompeius probauit: qui, ut me primum decedens ex Syria uidit, complexus, & gratulans, meo beneficio patriam se uisurum esse dixit. Sed quid singulos commemoro? frequentissimo senatui sic placuit, ut esset nemo, qui mihi non ut parenti gratias ageret; qui non mihi uitam suam, liberos, fortunas, remp. referret acceptam. Sed, quoniã illis, quos nominauit, tot, & talibus uiris respubl. orbata est, ueniamus ad uiuos, qui duo e consulari numero reliqui sunt. L. Cotta uir summo ingenio, summaque prudentia rebus his gestis, quas tu reprehendis, supplicationem decreuit uerbis amplissimis: eique illi ipsi, quos modo nominauit, consulares, senatusque cunctus assensus est: qui honos post conditam hanc urbem habitus est togato ante me nemini. L. Cæsar auticulus tuus, qua oratione, qua constantia, qua grauitate sententiam dixit in sororis suæ uirum uitricum tuum? hunc tu cum auctorem, & præceptorem omnium consiliorum, totiusque uitæ debuisses habere, uitrici te similem, quã auunculi esse maluisti. huius ego alienus consilij consul usus sum: tu sororis filius, e quid ad eum umquam de rebus retulisti? At ad quos refertur dii immortales! ad eos scilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi sunt, hodie non descendit Antonius. cur? dat natalia in hortis. cui? neminem nominabo. putate tum Phormioni alicui, tum Gnatoni, tum Ballioni. Ofæditatem hominis flagitiosam! o impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam! tu, cum principem senatorem, ciuem singularem, tam propinquum habeas, ad eum de re publica nihil referas: ad eos referas, qui rem suam nullam habent, tuam ex-hauriunt. Tuus uidelicet salutaris consulatus, perniciosus meus?

P. B. ferendam! tu, cum principem senatorem, ciuem singularem, tam propinquum habeas, ad eum de re publica nihil referas: ad eos referas, qui rem suam nullam habent, tuam ex-hauriunt. Tuus uidelicet salutaris consulatus, perniciosus meus?



*meus? adeone pudorem cum pudicitia perdidisti, ut hoc in  
 eo templo ducere ausus sis, in quo ego senatum illum, qui  
 quondam florens orbi terrarum praesidebat, consulebam:  
 tu homines perditissimos cum gladiis collocavisti? At etiam  
 ausus es (quid autem est, quod tu non audeas?) cliuam Ca-  
 pitolinum dicere, me consule plenum servorum armato-  
 rum fuisse, ut illa credo nefaria Senatusconsulta tibi fieret,  
 uim affererem senatui. O miser, siue illa tibi nota non sunt,  
 (nihil enim boni nosti) siue sunt, qui apud tales uiros tam  
 impudenter loquere. Quis enim eques Romanus, qui prae-  
 ter te adolescens nobilis, qui illius ordinis, qui se ciuem  
 meminisset, cum senatus in hoc templo esset, in cliuo Capi-  
 tolino non fuit? quis nomen non dedit? quamquam nec scri-  
 bae sufficere, nec tabulae nomina illorum capere potuerunt.  
 Etenim, cum homines nefarii de patriae parricidio confite-  
 rentur, cōsciorum indiciis sua manu, uoce pene litterarum  
 coacti se urbem inflammare, ciues trucidare, uastare Ita-  
 liam, delere rempublicam consensisse: quis esset, qui ad salu-  
 tem communem defendendam non excitaretur? praesertim  
 cum senatus, populusq; Romanus haberet ducem, qualis si  
 qui nunc esset, tibi idem, quod illis accidit, contigisset. Ad  
 sepulturam corpus uirici sui negat à me datum. Hoc uero  
 ne P. quidem Clodius dixit unquam, quem, quia iure ei sui  
 inimicus, doleo à te iam omnibus uitiis esse superatū. Quid  
 autem tibi uenit in mentem, redigere in memoriā nostram  
 te domi P. Lentuli esse educatum? an uerebare, ne non pu-  
 taremus natura te potuisse tam improbum euadere, nisi ac-  
 cessisset etiam disciplina? Tam autem eras excors, ut tota  
 in oratione tecum ipse pugnares, ut non modo non coha-  
 rentia inter se diceres, sed maxime disuncta atq; cōtraria:  
 ut non tanta mecum, quanta tecum tibi esset contentio.*

*Vt*



Vitricum tuū in tanto fuisse scelere fetebare, pœna affectū  
 querebare. Ita, quod proprie meum est, laudasti: quod to-  
 tius senatus est, reprehendisti. nam comprehensio fontium  
 mea animaduersio senatus fuit. homo d' fertus non intelli-  
 git eum, quem contra dicit, laudari a se; eos, apud quos di-  
 cit, vituperari. Iam illud cuius est non dico audacia, (cupit  
 enim se audacem dici) sed, quod minime uult, stultitia, qua  
 uincit omnes, cliui Capitolini mentionem facere? cum in-  
 ter subsellia nostrā uersentur armati, cum in hac cella Con-  
 cordiæ (dij immortales) in qua, me consule, salutares sen-  
 tentiæ dictæ sunt, quibus ad hanc diē uiximus, cum gladiis  
 homines collocati stēt. Accusa senatum, accusa equestrem  
 ordinem, qui tū cū senatu copulatus fuit: accusa omnes or-  
 dines, omnes ciues, dū consistere hunc ordinē, hoc ipso tem-  
 pore, ab Ithyreis circūsederi. Hæc tu non propter audaciā  
 dicis tam impudenter, sed quia tantam rerum repugnā-  
 tiam non uideas. nihil profecto sapis. quid est enim dementi-  
 us, quam, cum reipublica perniciose arma ceperis, obui-  
 cere alteri salutaria? At etiam quodam loco facetus esse  
 uoluisti. quā id te (dij boni) non decebat! in quo est tua cul-  
 pa nonnulla. aliquid enim salis ab uxore mima trahere po-  
 tuisti. Cedant arma togæ. quid tum? nome cesserunt? at po-  
 stea tuis armis cessit togæ. quæramus igitur utrum melius  
 fuerit, libertati populi Romani sceleratorum arma, an li-  
 bertatem nostram armis tuis cedere? Nec uero tibi de uer-  
 sibus plura respondebo: tantum dicam breuiter, neque il-  
 los, neque illas te omnino litteras nosse: me nec reip. nec  
 amicis unquam defuisse, & tamen omni genere monimen-  
 torū meorum perfecisse operis\* subcisuis, ut mea uigilia,  
 meæque litteræ & inuentuti utilitatis, & uomini Ro-  
 mano laudis aliquid afferrent. Sed hæc non huius tempo-



ris. maiora uideamus. P. Clodium meo consilio interfectum  
 esse dixisti. Quidnam homines putarent, si tum occisus es-  
 set, cum tu illum in foro, spectante populo Romano, gladio  
 stricto insecutus es? negotiumque transegisses, nisi ille se sub  
 scalas taberna libraria conecisset, hisque opulatis impetum  
 tuum compressisset? Quod quidem ego fauisse me tibi fateor,  
 suauis ne tu quidem dicis. At Miloni ne fauere quidem  
 potui. prius enim rem transegit, quam quisquam eum id  
 facturum, suspicaretur. At ego suasi: scilicet is animus erat  
 Milonis, ut prodesse reipub. sine suafore non posset? At la-  
 tatus sum. quid ergo? in tanta letitia cuncta ciuitatis me  
 unum tristem esse oportebat? Quamquam de morte P. Clo-  
 dij fuit questio non satis prudenter illa quidem constituta.  
 quid enim attinebat noua lege quæri de eo, qui hominem  
 occidisset, cum esset legibus questio constituta? questum  
 est tamen, quod ergo, cum res agebatur, nemo in me dixit,  
 id tot annis post tu es inuentus, qui diceres? Quod uero di-  
 cere ausus es, idque multis uerbis, opera mea Pompeium  
 à Cæsaris amicitia esse disunctum, ob eam causam mea  
 culpa ciuile bellum esse natum: in eo non tu quidem tota  
 re, sed, quod maximum est, temporibus errasti. Ego, M. Bi-  
 bulo præstantissimo ciue consule, nihil prætermisi, quan-  
 tum facere, enitique potui, quin Pompeium à Cæsaris con-  
 iunctione auocarem, in quo Cæsar fuit felicior, ipse enim  
 Pompeium à mea familiaritate disunxit. Postea uero  
 quam se totum Pompeius Cæsari tradidit, quid ego illum  
 ab eo distrahere conarer? stulti erat sperare, suadere im-  
 pudentis. Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid  
 contra Cæsarem Pompeio suaserim: ea uelim reprehendas,  
 si potes: unum, ne quinquennij imperium Cæsari \*proroga-  
 ret, alterum, ne pateretur ferri, ut absentis eius ratio habe-  
 retur.



retur. quorū si utrumvis persuasissim, in has miseras nūquam incidissemus. Atque idem ego, cum iam omnes opes & suas, & reipublicæ Pōpeius ad Casarem detulisset, seroq; eadem sentire cœpisset, quæ ego ante multo prævideram: inferriq; patriæ bellū nefarium uiderem: pacis cōcordiæ, compositionis auctor esse non destiti: meaque illa vox est nota multis, Vtinam, Cn. Pompei, cum C. Casare societatem aut numquam coisses, aut numquam diremisses. fuit alterum grauitatis, alterum prudentiæ tuæ. Hæc mea, M. Antoni, semper & de Pompeio, & de reipublica consilia fuerunt. quæ si ualuisissent, reipublica staret: tu tuis flagitiis, egestate, infamia, concidisses. Sed hæc uetera: illud uero, recens, Casarem meo consilio interfectum. Iam uereor, patres conscripti, ne, quod turpissimū est, præuaricatorē mihi apposuisse uidear, qui me nō solum meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret alienis. quis enim meū in istius societate gloriosissimi facti nomen auduit? cuius autem, qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum? occultatum dico? cuius non statim diuulgatum? citius dixerim iactasse se aliquos, ut fuisset in ista societate uiderentur socij, cum socij nō fuissent, quam ut quisquam celari uellet. Quam uerisimile porro est, in tot hominibus partim obscuris, partim adolescentibus, neminem occultantibus, meum nomen latere potuisse? Etenim, si auctores ad liberandam patriam desiderarentur, illis auctoribus, Brutos ego impellerē? quorum uterque L. B. uti imaginem quotidie uideret, alter etiā Abala? Hi igitur his maioribus orti ab alienis potius consiliū peterent, quā à suis? & foris potius, quā domo? Quid? C. Cassius in ea familia natus, quæ non modo dominatum, sed ne potētiam quidem cuiusquā ferre potuit, me auctorē, credo, desiderauit: qui etiā sine his clarissimis uiris, hæc rē in Cili-



cia, ad ostium fluminis Cydni confecisset, si ille ad eam ripam, quam cōstituerat, nō ad contrariā, \* naues appulisset. Cui Domitiū non patris interitus clarissimi uiri, non aunculi mors, non spoliatio dignitatis, ad recuperandam libertatem, sed mea auctoritas excitauit? An C. Trebonio persuasi, cui ne suadere quidem ausus essem? quo etiam maiorem ei res publica gratiam debet, qui libertatem populi Romani amicitia preposuit: depulsorq; dominatus, quā particeps esse maluit. An L. Tullius Cimber me est auctorem fecurus? quem ego magis fecisse illā rem sum admiratus, quam facturum putavi, admiratus sum autē ob eam causam, quod in memor beneficiorum, memor patria fuisset. Quid duos Seruilios? Casus dicā, an Abalas? & hos auctore uitate mea cēsetis excitatos potius, quam caritate reipub. Lōgum est persequi ceteros: idq; reip. prae larū, fuisse tam multos, ipsis gloriosum. At, quemadmodū me coarguerit homo acutus, recordamini. Casare interfecto, inquit, statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamauit, atque ei recuperatā libertatem est gratulatus. Cur mihi potissimum? qui sciebam? Vide ne illa causa fuerit appellandi me, quod, cum rem gessisset consimilem rebus ijs, quas ipse gesseram, me potissimum testatus est, se amulum mearum laudum existisse, tu autē, omnium stultissimae, non intelligis, si id, quod me arguis, uoluisse interfici Casarem, crimen sit: etiam latatū esse morte Caesaris crimen esse, quid enim interest inter suasorem facti, & probatorem? aut quid refert, utrū uoluerim fieri, an gaudeam factum: ecquid est igitur, exceptis ijs, qui illū regnare gaudebant, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbari? omnes enim in culpa, etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Casarē occiderūt: alijs consilium, alijs animus,



mus, alijs occasio defuit, uoluntas nemini. Sed stupor e homi-  
 nis, uel dicam pecudis, attendite. sic enim dixi: M. Brutus,  
 quem ego honoris causa nomino, cruentum pugionem te-  
 nens, Ciceronem exclamauit: ex quo intelligi debet, eum co-  
 scium fuisse. Ergo ego sceleratus appellor a te, quem tu su-  
 spicatum aliquid suspicaris: ille, qui stillantem pra se pugionem  
 tulit, is a te honoris causa nominatur: esto: sui uerbis tuis  
 hic stupor. quanto in rebus, sententijsq; maior? Constitue hoc  
 consul aliquando, Brutorum, C. Caesij, Cn. Domitij, Cn. Trebonij,  
 reliquorum quam uelis causam esse: edormi crapulam, inquam, et  
 exhalata. an faces admoenda sunt, quae te exciuet tantae caus-  
 sae indormientem? nunquamne intelliges statuendum tibi esse,  
 utrum illi, qui istam rem gesserunt, homicidij rei sint, an uin-  
 dices libertatis? Attende enim palisper, cogitationemq; so-  
 brij hominis punctum temporis suscipe. ego, qui sum illorum,  
 ut ipse fateor, familiaris, ut a te arguor, socius, nego quidquam  
 esse medium: confiteor eos, nisi liberatores populi Romani,  
 P. B. conseruatoresq; reipublicae sint, plus quam sicarios, plus  
 quam homicidas, plus etiam quam parricidas esse. siquidem  
 est atrocius patriae parietem, quam suum occidere. Tu, homo  
 sapiens, et considera, quid dicis? si parricida, cur honoris  
 causa a te sunt et in hoc ordine, et apud populum Roma-  
 num semper appellati? cur M. Brutus, te referente, legibus  
 est solutus, si ab urbe plus quam decem dies abfuisset? cur ludii  
 Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? cur  
 praefectura Cassio, et Bruto data? cur quaestores additi? cur  
 legatorum numerus auctus? Atque haec acta per te, non  
 igitur homicida. sequitur ut liberatores tuo iudicio: quan-  
 doquidem tertium nihil potest esse. Quid est? nunquam coturbo te?  
 non enim fortasse satis, quae distinctius dicuntur, intelligis.  
 sed tamen haec est summa conclusionis meae: quoniam scelere  
 a te



a te liberati sunt, ab eodem te amplissimis premijs dignissimos iudicatos. Itaq; iam retexo orationem meam: scribā ad illos, ut si qui forte, quod a te mihi obiectum est, quaerent, sit ne uerum, ne cui negent. etenim uereor, ne aut celatum me ab ipsis, illis non honestū: aut inuitatū refugisse, mihi sit turpissimū. Quæ enim res umquā (prò sancte Iupiter) non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta maior? quæ gloriosior? quæ commendatior erit hominum memoriæ sempiternæ? in huius me consilij societatem, tãquam in equum Troianum cum principibus includis? non recusō. Ago etiam gratias, quoquo animo facis: tãta enim res est, ut inuidiam istam, quam tu in me uis concitare, cum laude non comparem. Quid enim beatius illis, quos tu expulsos a te prædicas, & relegatos? qui locus est aut tã desertus, aut tam inhumanus, qui illos, quo accesserint, non affari, atq; appetere uideatur? qui homines tam agrestes, qui se, cum eos aspexerint, non maximū cepisse uitæ fructū putent? quæ uero tam immemor posteritas, quæ tã ingratis litteræ reperientur, quæ eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequantur? Tu uero adscribe me talem in numerum. Sed unam rem uereor ne non probes. si enim fuisset, non solum regem, sed regnum etiam de rep. sustulisset: & si meus stylus ille fuisset (ut dicitur) mihi crede, non solum unū actum, sed totam fabulam cõfecissem. Quãquam, si interfici Cæsarem uoluisse crimen est, uide quæso, Antoni, quid tibi futurum sit, quem & Narbone hoc consilium cum C. Trebonio cepisse notissimum est, & ob eius consilij societatem, cum interficeretur Cæsar, tum te a Trebonio uidimus seuoari: Ego autem, (uide quam tecum agā non inimice) quod bene cogitasti aliquando, laudo: quod non indicasti, gratias ago: quod non fecisti, ignosco: uirum

P. 167.



res illa quærebat. Quod si te in iudiciū quis adducat, usur-  
petq; illud Cassianum, Cui bono fuerit: uide quæso, ne hæ-  
reas. quæquæ quidē illud fuit, ut tu dicebas, omnibus bono,  
qui um seruire nolebant: tibi tamen præcipue, qui non mo-  
do non seruis, sed etiam regnas: qui maximo te ære alieno  
ad eadem Opus liberasti: qui per easdem tabulas innumerabi-  
lem pecuniam dissipauisti: ad quem e domo Casaris tam  
multa delata sunt: cuius domus quæstuosissima est falsorū  
commentariorum, & chirographorum officina, agrorum,  
oppidorum, immunitatum, uelut alium, flagitiosissima nū-  
dina. Etenim quæ res egestati, & æri alieno tuo præter  
mortem Casaris subuenire potuisset? Nescio quid contur-  
batus esse uideris. numquid subitimes, ne ad te hoc crimen  
pertinere uideatur? liberabo te metu. nemo credet unquam:  
non est tuum, de rep. bene mereri: habet istius pulcherrimi  
facti clarissimos uiros resp. auctores: ego te dico tantum  
gaudere, fecisse non arguo. Respondi maximis criminibus:  
nunc etiam reliquis respondendum est. Castra mihi Pompeij  
atq; omne illud tempus obiecisti. quo quidem tempore si, ut  
dixi, meum consiliū, auctoritasq; ualuisse, tu hodie egeres,  
nos liberi essemus, resp. non tot duces, & exercitus amisis-  
set. Fateor enim me, cum ea, quæ acciderunt, præuiderem  
futuræ, tantam in iustitia fuisse, quanta ceteri optimi ciues,  
si idem præuidissent, fuissent. Dolebam, dolebam, P. C. rep.  
uestris quondam, meisque consilijs conseruatam breui tē-  
pore esse perituram. Neq; uero eram tam ināctus, igna-  
rusque rerum, ut frangerer animo propter uitæ cupidita-  
tem, quæ me manens conficeret angoribus, dimissa mole-  
stijs omnibus liberaret. illos ego præstantissimos uiros,  
lumina resp. uiuere uolebam, tot consulares, tot prætorios,  
tot honestissimos senatores, omnem præterea florem nobili-  
tatis



bilitatis, ac iuuentutis, tum optimorum ciuium exercitus:  
 qui si uiuerent, quamuis iniqua cōditione pacis (mibi enim  
 omnis pax cum ciuibus bello ciuili utilior uidebatur) rēp.  
 hodie teneremus. Quae sententia si ualuisset, ac non ij maxi-  
 me, quorum ego uita consulebam, spe uictoria elati obsti-  
 tissent: ut alia omitam, tu numquam in hoc ordine, uel po-  
 tius numquam in hac urbe mansisses. At uero Cn. Pompeij  
 uoluntatem à me abalienabat oratio mea. an ille quēquam  
 plus dilexit? cum ullo aut sermones, aut consilia contulit.  
 saepius? quod quidē erat magnum de summa re dissentien- p.168.  
 tes, in eadem consuetudine amicitiae permanere. sed & ego,  
 quid ille, & contra ille, quid ego & sentirem, & spectarem  
 uidebat. ego incoluntati ciuium primum, ut postea digni-  
 tati possemus, ille presenti dignitati potius consulebatur:  
 quod autem habebat uterq; quid sequeretur, idcirco tole-  
 rabilior erat nostra dissensio. Quid uero ille consularis uir,  
 ac pene diuinus de me senserit, sciūt qui cum de Pharsalica  
 fuga Paphum persecuti sunt. numquā ab eo mentio de me,  
 nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderij, cum me ui-  
 disse plus fatebatur, se sperauisse meliora. & eius uiri no-  
 mine me insectari audes, cuius me amicum, te se florem esse  
 fateare? Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix  
 fuisti. Ne iocis quidem respondebo, quibus me in castris  
 usum esse dixisti. erant quidē illa castra plena cura: uerū  
 tamen homines quāuis in turbidis rebus sint, tamē si modo  
 homines sunt, interdū animi relaxantur. Quod autē idem  
 maestitiam meā reprehendit, idem iocos, magno argumen-  
 to est, me in utroq; fuisse moderatum. Hereditates mihi ne-  
 gasti uenire. Vtinam hoc unum uerum crimen esset: plures  
 amici mei, & necessarii uiuerent. sed qui isthuc tibi uenit  
 in mentem? ego enim amplius h. s. ducenties acceptum he-



reditatibus retuli. Quamquam in hoc genere fateor feliciorē esse te. me nemo nisi amicus fecit heredem, ut cū illo commodo, si quoderat, animi quidam dolor iungeretur: te is, quem tu uidiſti numquam, L. Rubrius Cassinas fecit heredem. & quidem uide, quā te amarit is, qui albus, aterne fueris ignorans, fratris filiiū prateriit: Q. Fufij honestissimi equitis Romani, sibiq; amicissimi, quem palā heredem semper factitabat,\* ne nomen quidē perscripsit: quē numquam uiderat, aut certe numquā salutauerat, fecit heredē.

P. B. Velim mihi dicas, nisi molestum est, L. Turfilius qua facie fuerit, qua statura, quo municipio, qua tribu. nihil scio, iniquies, nisi quā prædia habuerit. igitur fratrē exheredans, te faciebat heredem. In multas præterea pecunias alienissimorum hominum, eiectis ueris heredibus, tamquam heres esset, inuasit. Quamquā hoc maxime admiratus sum, mentionem te hereditatum ausum esse facere, cum ipse hereditatem patris non adisses. Hæc ut colligeres, homo amentissime, tot dies in aliena uilla declamasti: quamquam tu quidem (ut tui familiarissimi dicunt) uini exhalandi, non acuendi ingenij causa declamitas.\* Et uero adhibes ioci causam magistrum suffragio tuo, & compotorum tuorum rhetorem: cui concessisti, ut in te, quæ uellet, diceret. falsum omnino hominē: sed materia facilis, in te, & in tuos dicta dicere, Vide autē inter te, & auum tuum quid inter sit. ille sensim dicebat, quod causæ prodesset: tu cursim dicis aliena. At quanta merces rhetori data est? audite, audite, P. C. & cognoscite reipub. vulnera: duo millia iugerum campi Leontini Sex. clodio rhetori assignasti, & quidem immunita, ut pro tanta mercede nihil sapere disceres: num etiam hoc, homo audacissime, ex Casaris commentariis? Sed dicam alio loco de Leontino agro, & de Campano: quos iste

agros



agros ereptos reip. turpissimis possessoribus inquinavit.  
 Tam enim, quoniam criminibus eius satis respondi, de ipso  
 emendatore, & correctore nostro quædã dicenda sunt, nec  
 enim omnia effundam, ut, si sapius decertandum sit, ut erit,  
 semper nouus ueniam, quam facultatem mihi multitudo  
 istius uitiorum, peccatorumq; largitur. Visne igitur te in-  
 spiciamus à puero? sic opinor, à principio ordiamur. Te-  
 nesne memoria, prætextatum te decoxisse? patris, inquires,  
 ista culpa est: concedo: etenim est pietatis plena defensio.  
 Illud tamen audacia tuæ, quod sedisti in quattuordecim  
 \*ordinibus, cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus  
 constitutus, quamuis quis fortuna uitio, non suo decoxisset.  
 Sumpstisti uirilem, quam statim muliebrem togam reddidisti.  
 primo uulgare scortum: certa flagitij merces, nec ea parua:  
 sed cito Curio interuenit, qui te à meretricio quæstu abdu-  
 xit: & tamquam stolam dedisset, in matrimonio stabili, &  
 certo locauit. Nemo umquam puer emptus libidinis causa  
 tam fuit in domini potestate, quam tu in Curionis. quoties  
 te pater eius domo sua eiecit? quoties custodes posuit, ne  
 limen intrares? cum tamen tu nocte socia, hortante libidi-  
 ne, cogente mercede, per tegulas dimitterere, quæ flagitia  
 domus illa diutius ferre nõ potuit: Scisne me de rebus mihi  
 notissimis dicere? recordare tempus illud, cum pater Curio  
 mærens iacebat in lecto: filius se ad pedes meos prosternens,  
 lacrymans te mihi comendabat, orabat, ut te contra suum  
 patrem, si sestertium sexagies peteret, defenderem, tantum  
 enim pro te intercessisse dicebat. Ipse autem amore ardens  
 confirmabat, quod desiderium tui dissidij ferre non posset,  
 se in exilium esse iturum. Quo ego tempore \* tanta mala  
 florentissima familia sedauit, uel potius sustulit: patri per-  
 suasi, ut es alienum filij dissolueret: redimeret adolescẽtem

P. 169.



summa spe & animi, & ingenij præditum, rei familiaris  
 facultatibus: erantq; a tua nõ modo familiaritate, sed etiam  
 congressione patrio iure, & potestate prohiberet. Hæc tu,  
 cum per me acta meminisses, nisi illis, quos uideamus, gla-  
 dijs consideres, maledictis me prouocare ausus esses? Sed  
 iam supra, & flagitia omittam. sunt quædam, quæ honeste  
 non possum dicere: tu autem eo liberior: quod ea in te admi-  
 sisti, quæ à uerecundo inimico audire non posses. Sed reli-  
 quum cursum uita uidete: quem quidem celeriter perstrin-  
 gam: ad hæc enim, quæ in civili bello, in maximis reip. mi-  
 serijs fecit, & ea, quæ quotidie facit, festinat animus. quæ  
 peto, ut, quæ inquam multo notiora uobis, quam mihi sunt;  
 tamen, ut facitis, attente audiatis. debet enim talibus in re-  
 bus excitare animos non cognitio solum rerum, sed etiam  
 recordatio. tamen si incidamus oportet media, ne nimis sero  
 ad extrema ueniamus. Intimus erat in tribunatu Clodio,  
 qui sua erga me beneficia cõmemorat: eius omnium incen-  
 diorum fax, cuius etiam domi quiddã iam tum molitus est.  
 quid dicam, ipse optime intelligit. Inde iter Alexandriam  
 contra senatus auctoritatem, cõtra religiones: sed habebat  
 duces Gabinius, quicum quiduis rectissime facere posset.  
 Qui tuus inde reditus? aut qualis? prius in ultimam Gal-  
 liam ex Aegypto, quam domum, quæ autem erat domus?  
 suam enim quisq; domum tum obtinebat; neq; erat usquam  
 tua domum dico? quid erat in terris, ubi in tuo pedem po-  
 neres? præter unum Misenum, quod cum socijs tamquam  
 Sisaponem tenebas. Venisti e Gallia ad quæsturam peten-  
 dam. Aude dicere, te prius ad patrem tuum uenisse, quam  
 ad me. acceperam enim iam ante Cesaris litteras, ut mihi  
 satisfieri paterer à te. itaq; ne loqui quidẽ sum te passus de  
 gratia. postea cultus sum à te, tu à me obseruatus in peti-  
 tione



tione quaestura. quo quidem tempore P. Clodiu, approbato P. 170.  
 populo Rom. in foro es conatus occidere: cumque eam rem  
 tua sponte conarere, non impulsu meo, tamen ita prae dica-  
 bas, te non existimare, nisi illum interfecisses, unquam mihi  
 pro tuis in me iniurijs satis esse facturum. In quo demoror,  
 cur Miloni impulsu meo rem illam egisse dicas, cum re  
 ultro mihi idem illud referentem nunquam sim adhortatus:  
 quamquam, si in eo perseverares, ad tuam gloriam rem illa  
 referri malebam, quam ad meam gratiam. Quastor es factus:  
 deinde continuo sine senatus consulto, sine sorte, sine lege ad  
 Caesarem cucurristi. id enim unum in terris egestatis, aris  
 alieni, nequitiae, perditis uitae rationibus per fugium esse du-  
 cebas. Ibi te cum & illius largitionibus, & tuis rapinis ex-  
 pleuisses (si hoc est explere, quod statim effundas) ad uoluntas  
 egens ad tribunatum, ut in eo magistratu, si posses, uiri tui  
 similis esses. Accipite nunc quaso non ea, quae ipse in se, atque  
 in domesticum dedecus impure, atque intemperater, sed quae  
 in nos, fortunaesque nostras, id est, in uniuersam rempublicam  
 ac nefarie fecerit. ab huius enim scelere omnium malorum  
 principium natum reperietis. Nam, cum L. Lentulo, C. Mar-  
 cello consulibus, Kalend. Ian. labentem, & prope cadentem  
 rempublicam, fulcire cuperetis, ipsique C. Caesari, si sana mentis esset,  
 consulere uelletis: tum iste ueditum, atque emancipatum tri-  
 bunatum consilijs uestris opposuit, ceruicesque suas ei sub-  
 iecit securi, quae multi in minoribus peccatis occiderunt. In  
 te autem, M. Antoni, id decreuit senatus, & quidem incolu-  
 mis, nondum tot luminibus extinctis, quod in hostem ro-  
 gatum decerni est solitum more maiorum. & tu apud patres  
 conscriptos contra me dicere ausus es, cum ab hoc ordine  
 ego conseruator essem, tu hostis reipublicae iudicatus? Comme-  
 moratio illius tui sceleris intermissa est, non memoria de-



P. B. leta. dum genus hominum, dum populi Rom. nomen exstabit (quod quidem erit, si per te licuerit, sempiternū) tua illa pestifera intercessio nominabitur. Quid cupide a senatu, quid temere fiebat, cum tu unus adolescens uniuersum ordinem discernere de salute reip. prohibuisti? neq; id semel, sed saepius; neq; tu tecum de senatus auctoritate agi passus es. quid autem agebatur, nisi ne\* deleri, & uerti rempublicus uelles? cum te neque principes ciuitatis rogando, neq; maiores natu monendo, neque frequens senatus agendo, de uendita, atq; addita sententia mouere potuit? Tum illud, multis ante tētatis rebus, necessario tibi uulnus inflictum, quod paucis ante te, quorū incolumis fuit nemo. tū cōtrate dedit arma hic ordo cōsulibus, reliquisq; imperijs, & potestatibus: quae non effugisses, nisi te ad arma Caesaris contulisses. Tū tu, inquam, M. Antoni, princeps C. Caesari, perturbare omnia cupienti, causam belli cōtra patriam inferendi dedisti. Quid enim aliud ille dicebat? quam causam demētissimi sui consilij, & facti afferebat, nisi quod intercessio neglecta, ius tribunitium sublatum, circūscriptus a senatu esset. Antonius? omitto quam haec falsa, quam leuia: praesertim cum omnino nulla causa iusta cuiquā esse possit, contra patriam arma capiēdi. Sed nihil de Caesare: tibi certe constendū est, causam perniciosissimi belli in persona tua constituisse. O miserum te, si intelligis: miseriorem, si non intelligis: hoc litteris mandari, hoc memoria prodi, huius rei ne posteritatem quidem omnium seculorum umquam immemorem fore, consules ex Italia expulsos, cumq; his Cn. Pompeium, qui imperij populi Romani decus, ac lumen fuit: omnes consulares, qui per ualetudinem exsequi ueram illam, clademq; potuissent, praetores praetorios, tribunos plebis, magnam partem senatus, omnem sobolem uiuent



uentutis, unoque uerbo republi. expulsam, atque exterminatam suis sedibus. Vt igitur in seminibus caussa est arborum, & stirpium, sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti. Doletis tres exercitus populi Rom. interfectos: interfecit Antonius. desideratis clarissimos ciues: eos quoq; eripuit uobis Antonius. auctoritas huius ordinis afflictata est: afflixit Antonius. omnia denique, quae postea uidimus, (quid autem mali non uidimus?) si recte ratio cinabimur, uni accepta referemus Antonio. ut Helena Troianis, sic iste huic reipu. caussa belli, caussa pestis, atq; exitij fuit. Reliquae partes tribunatus principio similes omnia perfecit, quae senatus, salua rep. ne fieri possent, perfecerat. cuius tamen scelus in scelere cognoscite. Restituebat multos calamitosos: in his patrum nulla mentio. si seuerus, cur non in omnes? si misericors, cur non in suos? sed omitto ceteros. Licinium Denticulam de alea condemnatum collusorem suum\* restituit. quasi uero ludere cum condénato non liceret: scilicet ut, quod in alea perdiderat, beneficio legis dissolueret. Quam attulisti rationem populo Romano, cur eum restitui oporteret? absentem, credo, in reos relatum: rem indicta caussa iudicatam: nullum fuisse de alea lege iudicium: ui oppressum, & armis: postremo, quod de patruo dicebatur, pecunia iudicium esse corruptum, nihil horum. at uir bonus, & rep. dignus. nihil id quidem ad rem: ego tamen, quoniam condemnatum esse pro nihilo\* est, si ita esset, ignoscere. hominem uero omnium nequissimum, qui nō dubitaret uel in foro alea ludere, lege, quae est de alea, condemnatus, qui in integrū restituit, is non apertissime studiū suum ipse proficitur? in eodem uero Tribunatu, cū Caesar in Hispaniam proficiscens, huic conculcādam Italiam tradidisset, quae fuit eius peragratio itineris?

P. B.



lustratio municipiorum? Scio me in rebus celebratissimis  
 sermone omnium uersariceaq; quæ dico, dicturusq; sum, no-  
 tiora omnibus esse, qui in Italia tum fuere, quam mihi, qui  
 non fui. notabo tamen singulas res: etsi nullo modo poterit  
 oratio mea satisfacere uestra scientiæ. Etenim quod un-  
 quam in terris tantum flagitium extitisse auditum est? tã-  
 tam turpitudinem? tãtum dedecus euehebatur in effedo tri-  
 bunus pleb. lictores laureati antecede bāt. inter quos aper-  
 ta lectica mima portabatur: quam ex oppidīs municipales  
 homines honesti obuiam necessario prodeuntes, non \* noto  
 illo, & mimico nomine, sed Volumniam consulabant. se-  
 quebatur rheda cum lenonibus: comites nequissimi: reiecta  
 mater amicam impuri filij tãquam nurum sequebatur. O  
 misera mulieris fecunditatem calamitosam! Horum flagi-  
 tiorū iste uestigijs omnia municipia, præfecturas, colonias,  
 totam deniq; Italiam impressit. Reliquorum factorū eius,  
 P. C. difficilis est sane reprehensio, & lubrica: uersatus in  
 bello est: saturauit se sanguine dissimillimorum sui ciuium:  
 fuit, felix, si potest ulla esse in scelere felicitas. Sed, quoniã  
 ueteranis cautum esse uolumus, quamquam dissimilis est  
 militum causa, & tua illi secuti sunt; tu quasisti ducem tam-  
 men, ne apud illos me in insidiam uoces, nihil de genere  
 belli dicam. Victor e Thessalia Brundisum cum legionibus  
 reuertisti: tibi me non occidisti, magnum beneficium. potuisse  
 enim fateor: quamquam nemo erat eorum, qui tunc tecum  
 fuerunt, qui mihi non censeret parci oportere. tantã enim  
 est caritas patriæ, ut uestris etiam legionibus sanctus es-  
 sem, quod eam a me seruata esse meminissent. sed fac te  
 dedisse mihi, quod non ademisti, meq; a te habere mitã, quia  
 a te nõ sit crepta: licuit ne mihi per tuas cõtumelias hoc be-  
 neficium sic tueri, ut tuebare præsertim cum te hæc audi-  
 turum



turum uideres? Venisti Brundisium in sinum quidem, &  
 complexum tua mimula. quid est trum mentior: quam mi-  
 serum est id negare non posse, quod sit turpissimum con-  
 fiteri? si te municipiorum non pudebat: ne ueterani quidem  
 exercitus? quis enim miles fuit, qui Brundisij illam non ui-  
 derit? quis, qui nescierit uenisse eam tot dierum tibi uiam  
 gratulatum? quis, qui non indoluerit tam sero se, quam  
 nequam hominem secutus esset, cognoscere? Italia rursus  
 percursatio, eadem comite mimam in oppida, militum cru-  
 delis, & misera deductio: in urbe auri, & argenti, maxi-  
 meq; uini fœda direptio. Accessit, ut, Casare ignaro, cum  
 esset ille Alexandria, beneficio amicorum eius magister  
 equitum constitueretur. tum existimauit se suo iure cum  
 Hippia uiuere, & equos uectigales Sergio mimo tradere.  
 tum sibi non hanc, quam nunc male tuetur, sed M. Pisonis  
 domum, ubi habitaret, legerat. Quid ego istius decreta,  
 quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid  
 ereptas proferam? cogebat egestas: quo se uerteret non ha-  
 bebat: nondum ei tanta à L. Rubrio, non à L. Turselio here-  
 ditas uenerat: nondum in Cn. Pompeij locum, multorumq;  
 aliorum, qui aberant, repentinus heres successerat: erat ei  
 uiuendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum ra-  
 pere potuisset. Sed hæc, quæ robustioris improbitatis sunt,  
 omitamus: loquamur potius de nequissimo genere leuita-  
 tis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria to-  
 tius corporis firmitate, tantum uini in Hippie nuptiis ex-  
 hauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu  
 uomere postridie. O rem non modo uisu fœdam, sed etiam  
 auditu! Si inter cenam in tuis immanibus illis poculis hoc  
 tibi accidisset, quis non turpe duceret? in coetu uero popu-  
 li Romani, negotium publicum gereus, magister equitum,  
 cui



cui ructare turpe esset, is uomens frustis esculentis uinum redolentibus gremium suum, & totum tribunal impleuit. Sed hoc ipse fatetur esse in suis sordibus: ueniamus ad splendida. *Casar Alexandriam se recepit felix, ut sibi quidem uidebatur: mea autem sententia, si quis reipub. sit infelix, felix esse nemo potest. hasta posita pro aede Iouis Statoris, bona (miserum me: consumptis enim lacrymis, tamen infixus animo haeret dolor) bona inquam, Cn. Pompeij Magni uoci acerbissima subiecta praconis, una in illa re seruitutis oblita ciuitas ingemuit: ieruiuentibusq; animis, cū omnia metu tenerentur, gemitus tamē populi Ro. liber fuit, exspectantibus omnibus, qui snā esset tā impius, tā demens, tā diis, hominibusq; hostis, qui ad illud scelus sectionis aude- ret accedere, inuentus est nemo, praeter Antonium: praesertim cum tot essent circa hastam illam, qui alia auderent. unus inuentus est, qui id auderet, quod omnium fugisset, & formidasset audacia. Tantis igitur te stupor oppressit, uel, ut uerius dicam, tantus furor primus, ut, cum seffor sis isto loco natus: deinde, cum Pompeij seffor, non te exsecrādam populo Romano, non detestabilem, non omnes tibi deos, omnes homines, & esse inimicos, & futuros scias? At quā insolenter statim heluo inuasit in eius uiri fortunas, cuius uirtute terribilior erat populus Rom. exteris gentibus, iustitia carior. In eius igitur copias cum se subito ingurgitauisset, exsultabat gaudio persona de mimo, modo egens, repente diues. sed ut est apud poetam nescio quem, Male parta, male dilabuntur: incredibile, ac simile portentis est,*

- P. 173. quonam modo illa tam multa, quam paucis non dico mensibus, sed diebus effuderit. maximus uini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa uestis, multa & lauta supellex, & magnifica multis locis, non illa qui



quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis, horum paucis diebus nihil erat. Quæ Charybdis tā uorax? Charybdin dico? quæ si fuit, animal unum fuit. Oceanus medius fidus uix uidetur tot res, tam dissipatas, tam distantes in locis positas, tam cito absorbere potuisse. Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum, apothecæ totæ nequissimis hominibus condonabantur: alia mimi rapiabant, alia mimæ: domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum: totos dies potabatur, atque id locis pluribus: suggererentur etiam sæpe (non enim semper iste felix) damna aleatoria: conchyliatis Cn. Pompeij peristromatis seruorum in cellis lectos stratos uideres: Quamobrem desinite mirari hæc tam celeriter esse consumpta, non modo unius patrimonium, quamuis amplum, ut illud fuit, sed urbes, & regna tanta nequitia deuorare potuisset. \* At idem ædes etiam, & hortos. O audaciam immanem, tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum ædium diis penatibus Os importunissimum ostendere? Quam domum aliquandiu nemo aspiceret, nemo sine lacrymis præterire, hac te in domo tam diu diuersari non pudet? in qua, quamuis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse iucundum. An tu illa \* in uestibulo, rostra, spolia, cum aspexisti, domum tuam te introire putastis fieri non potest, quamuis enim sine mente, sine sensu sis, ut es: tamen & te, & tua, & tuos nosti, nec uero te um-

P. B.

quam neque uigilantem, neque in somnis credo mēte posse consistere, necesse est, quamuis sis, ut es, uiolentus, & furens, cum tibi obiecta sit species singularis uiri, perterritum de somno excitari, furere etiam sæpe uigilantem, Me quidem miseret parietum ipsorum, atque tectorum, quid enim umquam domus illa uiderat, nisi pudicum, nisi ex  
op̄



optimo more, & sanctissima disciplina? fuit enim ille uir  
 P. C. sicut scitis, cum foris clarus, tum domi admirandus:  
 neque rebus externis magis laudandus, quam institutis do-  
 mesticis. huius in adibus pro cubiculis stabula, \* pro tri-  
 clinis popinae sunt. etsi iam negat: nolite, nolite querere.  
 frangi factus est. mimam illam suam suas res sibi habere  
 insit. ex duodecim tabulis \* clauis ademit, exegit. quam  
 porro spectatus ciuis, quam probatus, cuius ex omni uita  
 nihil est honestius, quam quod cum mina fecit diuortium?  
 At quam crebro usurpat, & consul, & Antonius? hoc est  
 dicere, & consul, & impudicissimus: & consul, & homo  
 nequissimus. quid enim est aliud Antonius? nam, si dignitas  
 significaretur in nomine dixisset aliquando, credo, auis  
 tuus, se & consulem, & Antonium. numquam dixit. dixis-  
 set etiam collega meus, patruus tuus. nisi tu solus es Anto-  
 nius. Sed omitto ea peccata, quae non sunt earum partium  
 propria, quibus tu temp. uexauisti: ad ipsas tuas partes re-  
 deo; id est, ad ciuile bellum: quod natum, constat, susce-  
 ptum opera tua est. cui bello cum propter timiditatem  
 tuam, tum propter libidines defuisti, gustaras ciuilem san-  
 guinem, uel potius exorbueras: fueras in acie Pharsalica  
 antesignanus: L. Domitium nobilissimum, & clarissimum  
 uirum occideras: multosque praeterea, qui e praelio effuge-  
 rant, quos Caesar, ut nonnullos, fortasse seruasset, crudelis-  
 sime persecutus trucidaras. quibus rebus tantis, talibus ge-  
 suis, quid fuit causa, cur in Africam Caesarem non seque-  
 vere, cum praesertim belli pars tanta restaret? itaque quem  
 locum apud ipsum Caesarem post eius ex Africa reditu obui-  
 uisti? quo numero fuisti? cuius tu imperatoris quaestor fue-  
 ras, dictatoris magister equitum, belli princeps, crudelita-  
 tis auctor, praedae socius, testamento, ut ipse dicebas, filius:

P. 174.

ap



appellatus es de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro  
 sectione debebas. primo respondisti plane ferociter: & (ne  
 omnia uidear contra te) propemodū equas, & iusta dice-  
 bas. A me, C. Caesar, pecuniā? cur potius quam ego ab illo?  
 an ille sine me uici? et ne potuit quidem. ego ad illū belli ci-  
 uilis causam attuli: ego leges perniciosas rogavi: ego ar-  
 ma contra consules, imperatoresq; populi Romani, contra  
 senatum, populumq; Romanum, contra deos patrios, arasq;  
 & focos, contra patriam tuli. num sibi soli uicium? quo-  
 rum facinus commune, cur non sit eorum praeda communi-  
 nis? ius postulabas: sed quid ad rem? plus ille poterat. Itaq;  
 excusis tuis uocibus, & ad te & ad praedes tuos milites  
 misit: cum repente a te praecleara illa tabula prolata, qui-  
 risus hominum de te erat? tantā esse tabulam, tam uarias,  
 tam multas possessiones, ex quibus praeter partem Miseni  
 nihil erat, quod is, qui auctionaretur, posset suum dicere.  
 Auctionis uero miserabilis aspectus, uestis Pompeii non  
 multa, eaque maculosa: eiusdem quaedam argentea uasa  
 collisa, seruidata mancipia: ut doleremus, quidquam esse  
 ex illis reliquijs, quod uidere possemus. Hanc tamen au-  
 ctionem heredes L. Rubrii decreto Caesaris prohibuerunt. P. B.  
 Habebat nebulo: quo se uerteret, non habebat. Quis in his  
 ipsis temporibus domi Caesaris percursor ab isto missus,  
 deprehensus dicebatur esse cum sicca. de quo Caesar in se-  
 natu, aperte, in te inuehens, questus est. Proficiscitur in Hi-  
 spaniam Caesar, paucis tibi ad soluendum propter inopiam  
 tuam, prorogatis diebus: ne tam quidem sequeris, tam bo-  
 nus gladiator rudem tam cito accepisti hunc igitur quis-  
 quam, qui in suis partibus, id est, in suis fortunis tam timi-  
 dus fuerit, pertimescit? Profectus est tamen aliquando in  
 Hispaniam: sed tuto, ut ait, peruenire non potuit. quoniam  
 modo



modo igitur Dolabella peruenit? aut non suscipienda fuit ista causa, Antoni; aut, cum suscepisses, defendenda usque ad extremum. Ter depugnauit Caesar cum ciuibus in Thes-salia, Africa, Hispania. omnibus affuit his pugnis Dolabella: in Hispaniensi etiam uulnus accepit. si de meo iudicio quaeris, nollem: sed tamen consilium a principio reprehendendum, laudanda constantia. Tu uero quid es? Cn. Pompeij liberi primum patriam repetebat. esto: fuerit partium haec causa communis. repetebant praeterea deos patrios, aras, focos, larem suum familiarem, in qua tu inuaseras. haec cum repeterent armis ij, quorum erant legibus (etsi in rebus iniquissimis quid potest esse aequum?) tamen erat aequissimum contra Cn. Pompeij liberos Cn. Pompeij pugnare sectorem. An tu, Narbone, in mensa hospitum cum uomeris, Dolabella pro te in Hispania dimicaret? Qui uero Narbone reditus? etiam quaerebat, cur ego ex ipso cursu tam subito reuertissem. Exposui nuper patribus conscriptis causam reditus mei. uolui etiam, si possem ante Kal. Ian. prodesse reip. nam quod quaerebas quomodo rediissem: primum luce, non tenebris: deinde cum calceis, & toga, nullis nec gallicis, nec lacerna. At etiam aspicias me, & quidem, ut uideris, iratus. nae tu mecum iam in gratiam redeas, si scias, quam me pudeat nequitia tuae, cuius te ipsum non pudet. Ex omnium omnibus flagitijs nullum turpius uidi, nullum audiui. qui magister equitum fuisse tibi uiderere, in proximum annum consulatum peteres, uel potius rogares: per municipia, coloniasque Gallia, a qua, cum consulatus noster petebatur, non rogabatur, petere consulatum solebamus, cum Gallicis, & lacerna cucurrisseti. At uidete leuitatem. Cum hora diei decima fere ad Saxa Rubra uenisset, delituit in quadam cauponula, atque ibi se occul-



tans, perpotauit ad uesperam: inde cisio celeriter ad urbem aduectus, domum uenit capite obuoluto. Ianitor, Quis tu? A Marco tabellarius. Confestim ad eam, cuius causa uenerat, deducitur, eiq; epistolam tradit. quam cum illa legeret flens (erat enim amatorie scripta: caput autem litterarum, sibi cum illa mimam posthac nihil futurum: omnem se amorem abieciſſe illinc, atque in hanc transfudiſſe) cum mulier fletet uberius, homo misericors ferre non potuit: caput aperuit: in collum inuaſit. O hominem nequã! (quid enim aliud dicã? magis proprie nihil poſſum dicere) ergo ut te catamitum nec opinato cum oſtendiſſes, præter ſpem mulier aſpiceret, idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbasti? Et domi quidẽ cauſam amoris habuiſti, foris etiam turpiorem, ne L. Placũs prædes tuos uenderet, productus autem in concionẽ a tribuno pleb. cum reſpondiſſes, te rei tuæ cauſa ueniſſe, populum in te dicacem etiam reddidiſti. Sed nimis multa de nugis, ad maiora ueniamus. Caſari ex Hispania redeunti obuiam longiſſime proceſſiſti: celeriter iſti, rediſti, ut cognoceret, te, ſi minus fortem, at amen ſtrenuũ. factus es ei ruſus nescio quomodo familiaris. habebat hoc omnino Caſar, quẽ plane perditum are alieno, egentemq; ſi eundẽ nequam hominem, audacemq; cognouerat, hunc in familiaritatem libentiſſime recipiebat. His igitur rebus præclare commendatus, iuſſus es renuntiare conſul, & quidem cum ipſo. nihil queror de Dolabella, qui tum eſt impuſus, eluſus, inductus. Qua in re quanta fuerit uterq; ueſtrum perfidia in Dolabellam, quis ignorat? ille induxit, ut peteret: promiſſum, & receptum interuertit, ad ſeſeq; tráſtulit: tu eius perfidia uoluntatem tuam adſcripiſti. Veniunt Kal. Ian. cogimur in ſenatum: inuectus eſt copioſius multo

P. B.



in istum, & paratius Dolabella, quam nunc ego. Hic autem iratus, quæ dixit, dii bonilcū primum Cæsar ostendisset, se, prius quam proficisceretur, Dolabellam consulem esse insurum: quem negant regē, qui & faceret semper eiusmodi aliquid, & diceret: sed, cum Cæsar ita dixisset, tum hic bonus augur, eo se sacerdotio præditum esse dixit, ut comitia auspicijs uel impedire, uel uitiare posset, idq; se facturū esse asseuerauit. In quo primum incredibilem stupiditatem hominis cognoscite: quid enim istuc, quod te sacerdotij iure facere posse dixisti, si augur non esses, & consul esses, minus facere potuisses? uide, ne etiam facilius, nos enim nuntiationem solum habemus, consules, & reliqui magistratus etiam spectationē. Est: hoc imperite: (nec enim ab homine nunquam sobrio postulanda prudentia) sed uidete impudentiam, multis ante mensibus in senatu dixit, se Dolabella comitia aut prohibitorum auspicijs, aut id facturū esse, quod fecit. quisquamne diuinare potest, quid uitiū in auspicijs futurū sit, nisi qui de celo seruare cōstituit? quod neq; licet comitijs per leges, & si qui seruant, non habitis comitijs, sed priusquam habeantur, debet nuntiare. uerum implicata inscientia impudentia est, si nec scit, quod augurum, nec facit, quod pudētem decet. Atq; ex illo die recedamini eius usq; ad Idus Martias consulatū. quis unquā apparitor tam humilis, tam abiectus? nihil ipse poterat, omnia rogabat; caput in auersam laticam insrens, beneficia, quæ uenderet, a collega petebat. Ecce dolabellæ comitorum dies, sortitio prærogatiua: qui scit: renuntiat: tacet. \* prima classis uocatur: renuntiat: deinde ut assilet suffragatum secunda classis uocatur. quæ omnia citius sunt facta, quam dixi. Confesto negotio, bonus augur (Lallium dices) alio die, inquit, O impudentiam singularem!

quid



quid uideras? quid senseras? quid audieras? nec enim te de  
 celo seruasse dixisti, neq; hodie diis, id igitur obuenerit ui-  
 tium, quod tu iam Kalend. Ian. futurum esse prouideras, &  
 tanto ante prouideras. Ergo hercule magna, ut spero, tua  
 potius, quam rei pub. calamitate euentus es auspicia: ob-  
 strinxisti, populum Rom. religione: augur auguri, consul  
 consuli obnuntiauisti. Nolo plura, ne acta Dolabellæ ui-  
 dear conuellere, quæ necesse est aliquando ad nostrum col-  
 legium deferantur. Sed arrogantia hominis, insolentiamq;  
 cognoscite. quamdiu tu uoles: utisus consul Dolabellæ:  
 rursus, cum uoles, saluis auspiciis creatus. si nihil est, cum  
 augur his uerbis nuntiat, quibus nuntiaasti: osuere te, cum  
 ALIO DIE, dixeris, sobrium non fuisse. si est aliqua uis P. B.  
 in istis uerbis, ea, quæ sit, augur à collega requiro. Sed ne  
 forte ex multis rebus gestis, M. Antonij rem unam pul-  
 cherrimam transfiliat oratio, ad Lupercalia ueniamus. Non  
 dissimulat, P. C. apparet esse commotum, sudat, pallet: quid-  
 libet, modo ne nauſeet, faciat, quod in portu Minucia fe-  
 cit, quæ potest esse turpitudinis tantæ defensor: cupio audi-  
 re, ut uideam ubi rhetoris tanta merces, ubi campus L. on-  
 tinus appareat. Se debat in rostris colligatus amictus to-  
 ga purpurea, in sella aurea coronatus: ascensit: accedis ad  
 sellam. Ita eras Lupercus, ut te esse consulem meminisse de-  
 beres. diadema ostendis: gemitus toto foro, unde diadema?  
 non enim abiectum susuleras, sed attuleras domo medita-  
 tum, & cogitatum scelus. Tu diadema imponebas cum plan-  
 gore populi: ille cum plausu reuiciebat. Tu ergo unus, sce-  
 lerate, inuentus es, qui, cum auctor regni esses, eum, quem  
 collegam regni habebas, dominum habere uelles: & idem  
 tentares, quid populus Rom. ferre, & pati posset. At etiam  
 misericordiam captabas: supplex te ad pedes abiciebas:



quid petens? ut seruires? tibi uni peteres, qui ita à puero uixeris, ut omnia paterere, ut facile seruires: à nobis populoq; Rom. mandatum id certe non habebas. O præclaram illam eloquentiam tuam, cum es nudus concionatus. quid hoc turpius? quid fœdus? quid suppliciiis omnibus dignius? num expectas, dum te stimulis fodiam? hæc te si ullam partem habes sensus, lacerat, hæc cruentat oratio. Vereor, ne imminuam uiuorum summorum gloriam: dicam tamē dolore commotus. quid indignius, quam uiuere eum, qui imposuerit diadema, cum omnes fateantur iure interfectum esse, qui abiecerit? At etiam adscribi iussit in fastis, ad Lupercalia C. Cesari dictatori perpetuo M. Antonium consulem populi iussu regnum detulisse, Cesarem uti noluisse. Iam iam minime miror, te otium perturbare: non modo urbem odisse, sed etiam lucem: cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem uiuere. Vbi enim tu in pace consistes? qui locus tibi in legibus, & iudiciis esse potest, quæ tu, quantum in te fuit, dominatu regio sustulisti? Idcone L. Tarquinius exactus? spurij \* Cassius, Melius, M. Manlius necati, ut multis post seculis, à M. Antonio, quod fas non est, rex Romæ constitueretur? Sed ad auspicia redeamus. De quibus rebus idibus Martiis fuit in senatu Cesar acturus, quæro tum tu quid egisses? Audiebam quidem, te paratum uenisse, quod me de eminentis auspiciis, quibus tamen parere necesse erat, putares esse dicturum. Sustulit illum diem fortuna populi Romani: num etiam tuum de auspiciis iudicium interitus Cesaris sustulit? Sed incidi in id tempus, quod iis rebus, in quas ingressa erat oratio, præuertendum est. quæ tua fuga? quæ formido præclaro illo die? quæ propter conscientiam scelerum desperatio uitæ? cum ex illa fuga beneficio eorum, qui te, si

sanus



sanus esses, saluum esse uoluerunt, clam te domum recepisti? O mea semper frustra uerissima auguria uerum futurarum! dicebam illis in Capitolio liberatoribus nostris, cum me ad te ire uellent, ut ad defendendam rempub. te adhortarer: quoad metueres, omnia te promissurum: simulac timere desisses, similem te futurum tui. Itaque, cum ceteri consulares irent, redirent, in sententia mansi: neque te illo die, neq; postero uidi: neq; ullam societatem optimis ciuibus cum importunissima hoste fœdere ullo confirmari posse credidi. Post diem tertium ueni in eadem Telluris, equidem inuitus, cum omnes aditus armati obsiderent. qui tibi ille dies, M. Antoni, fuit? quamquam mihi subito inimicus exististi, tamē me tui miseret, quod tibi inuideris. Qui tu uir, P. B. dii immortales, & quantus fuisses, si illius diei mentem seruare potuisses! pacem haberemus, quæ erat facta per obsidem puerum nobilem\* M. Antonij filium, M. Bambalionis nepotem, quamquam te bonum timor faciebat, non diuturni magister officij improbum fecit ea, quæ, dū timor abest, à te non discedit, audacia. etsi tum, cum optimum te putabant, me quidem dissentiente, funeri tyranni, si illud funus fuit, sceleratissime præfuisi. tua illa pulchra laudatio, tua miseratio, tua cohortatio, tu, tu, inquam, illas faces incendiisti, & eas, quibus semustulatus ille est, & eas, quibus incensa L. Bellieni domus deflagauit. tu illos impetus perditorum hominum, & ex maxima parte seruorum, quos nos ui manuq; repulimus, in nostras domos immisisti. Idem tamen, quasi fuligine abstersa, reliquis diebus in Capitolio præclara senatusconsulta fecisti, nequa post idus Martias immunitatis tabula, neue cuiusquam beneficij figeretur, meministi ipse, de exsilibus: scis de immunitate quid dixeris, optimum uero, quod dictatura nomen in



perpetuum de repub. sustulisti. quo quidem facto tantum te cepisse odium regni uidebatur, ut eius omnem, propter proximum dictatorem tollores metum. consuetuta respub. uidebatur aliis, mihi uero nullo modo, qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam. Num me igitur fefellit? aut num diuitias potuit sui esse dissimilis? inspectantibus uobis, toto Capitolio tabulae figebantur: neque solum singulis ueniebant immunitates, sed etiam populis uniuersis: ciuitas non iam sigillatim, sed prouinciis totis dabatur. Itaque si haec manent, quae stante repub. manere non possunt, prouincias uniuersas, P. C. perdidisti: neque uectigalia solum, sed etiam imperium populi Romani huius domesticis mundanis diminutum est. Vbi \* est septies milies sestertium, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat: fuisse illius quidem pecuniae, sed tamensitius, quorum erant, non redderentur, quae nos a tributis posset uindicare. Tu autem H. S. quadringenties, quod Idibus Martiis debuisti, quoniam modo ante Kalend. Aprilis debere desisti? \* Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? sunt ea quidem innumerabilia, quae a diuersis emebantur, non insciente te: sed unum egregium de rege Deiotaro, populo Romano amicissimo decretum in Capitolio fixum, quo proposito, nemo erat, qui in ipso dolore risum posset continere. Quis enim cuiquam inimicior, quam Deiotaro Caesar? aequae atque huic ordini, ut equestri, ut Massiliensibus, ut omnibus, quibus Rempublicam populi Romani caram esse sentiebat, igitur, a quo uiuo, nec praesens, nec absens quidquam aequi boni impetrauit, apud mortuum factus est\* gratulus. Compellarat hospitem praesens, computarat, pecuniam imperarat, in eius tetrarchia unum ex Graecis comitibus suis collocarat



rat: Armeniam abstulerat a senatu datam. hac uiuus eri-  
 puit, reddidit mortuus. at quibus uerbis? modo aequum sibi  
 uideri, modo non iniquum. mira uerborum complexio. at  
 ille numquam (semper enim absenti affui Deiotaro) quid-  
 quam sibi, quod nos pro illo pustularemus, aequum dixit  
 uideri. Syngrapha, H-S. centies per legatos uiros bonos,  
 sed timidos, & imperitos, sine Sexti, sine reliquorum ho-  
 spitum regis sententia, facta in gynaeceo: quo in loco plu-  
 rimae res ueniunt, & ueneunt. qua ex syngrapha quid sis <sup>P. B.</sup>  
 acturus, meditare censeo. Rex enim ipse sua sponte nullis  
 commentarijs Caesaris, simulatque audiuit eius interitum,  
 suo Marte res suas recuperauit. sciebat homo sapiens ius  
 semper hoc fuisse, ut, qua tyranni eripuissent, ea, tyrannis  
 interfectis, ij, quibus erepta essent, recuperarent. Nemo  
 igitur iureconsultus, ne iste quidem, qui tibi uni est iure-  
 consultus, per quem haec agis, ex ista syngrapha deberi di-  
 cit pro ijs rebus, qua erant ante syngrapham recuperatae.  
 non enim a te emit: sed prius, quam tu suum sibi uenderes,  
 ipse possedit. Ille uir fuit: nos quidem contemnendi: qui  
 auctorem odimus, acta defendimus. Quid ego de commē-  
 tarijs infinitis, quid de innumerab libus chirographis lo-  
 quar? quorum etiam imitatores sunt, qui ea tamquam  
 gladiatorum libellos, palam uendunt. Itaq; tanti acerni  
 nummorum apud istum construuntur, ut iam appendan-  
 tur, non numerentur pecunia. At quam caeca auaritia est:  
 nuper fixa tabula est, qua ciuitates locupletissima Cre-  
 tensium uectigalibus liberantur: statuiturq; ne post M.  
 Brutum proconsulem sit Creta prouincia. tu mentis es  
 compos? tu non constringendus? an Caesaris decreto Creta  
 post M. Bruti decessum potuit liberari, cum Creta nihil ad  
 Brutum, Casare uiuo, pertineret? At huius uenditione de-



creti (ne nihil altum putetis) provinciam Cretam perdidisti. Omnino nemo ullius rei fuit emptor, cui defuerit hic uenditor. Et de exsulibus legem, quam fixisti, Caesar tulit? nullius infector calamitatem: tatum queror, primum eorū reditus inquinatos, quorum causam dissimilem Caesar iudicauerit: deinde nescio, cur reliquis idem non tribuas. neq;

P. 179. enim plus quam tres, aut quattuor reliqui sunt, qui simili in calamitate sunt, cur tua misericordia simili non fruentur? cur eos habes in loco patrum? de quo ferre, cum de reliquis ferres, noluisti: quem etiam ad censuram petendam impulisti, eamq; petitionem comparasti, quæ & risus hominum, & querelas moueret. Cur autem ea comitia non habuisti? an quia tribunis pleb. fulmen sinistrum nuntiabat? cum tua quid interest, nulla auspicia sunt: cum tuorū, tum sis religiosus. quid? \* eundem in septemuiratu nonne destituisti: interuenit enim: cum metuisti, credo, ne, saluo capite, negare non posses. omnibus eum contumelijs onerasti, quæ patris loco, si ulla pietas in te esset, colere debebas. filiam eius, sororem tuam eiecisti, alia cōditione quaesita, & ante perspecta, non est satis: probri insimulasti pudicissimam feminam. quid est, quod addi possit? contentus eo non fuisi. frequentissimo senatu Kal. Ian. sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella odij causam ausus es dicere, quod ab eo sorori, & uxori tuæ stuprum oblatum esse comperisses. Quis interpretari potest, impudentioris, qui in senatu; an improbior, qui in Dolabella; an impurior, qui patre audiente; an crudelior, qui in illam miseram tam spurce, tam impie dixeris? Sed ad chirographa redeamus. quæ fuit tua cognitio? acta enim Caesaris pacis causa cōfirmata sunt a senatu, quæ quidē Caesar egisset, nō ea, quæ Caesarem egisse, dixisset Antonius. Unde ista erumpūt? quo au-

Flora



Flore proferuntur? si sunt falsa, cur probantur? si uera, cur  
 ueneunt? At sic placuerat, ut ex calend. Iunij de Caesaris  
 actis cum consilio cognosceretis. Quod fuit consilium?  
 quem umquam \* aduocasti? quas Calend. Iunias exspe-  
 ctasti? an eas ad quas te peragratis ueteranorum colo-  
 nijs, stipatum armis retulisti? O praeclearam illā percur-  
 sationem tuam mense Aprili, atque Maio, tum, cum etiam  
 Capuam deducere coloniam conatus es? quemadmodum  
 illinc abieris, uel potius pane nō abieris, scimus: cui tu urbi  
 minit aris, utinā conere, ut aliquādo illud pane tollatur. At  
 quam nobilis est tua illa peregrinatio? quid prandiorum  
 apparatus, quid furiosam inuolentiam tuam proferam?  
 tua ista detrimenta sunt, illa nostra. Agrum Campanum,  
 qui, cum de uestigalibus eximebatur, ut militibus daretur,  
 tamen, infligi magnum reipublicae uulnus putabamus: hūc  
 tu compransoribus tuis, & collusoribus diuidebas. mimos  
 dico, & mimas, P. C. in agro Campano collocatos. Quin  
 iam querar de agro Leontino? quandoquidem hae quon-  
 dam arationes\* Campani, & Leontini in populi Ro. patri-  
 monio grandiferae, & fructuose ferebantur. Medico tria mil-  
 lia iugerum, quasi te sanū fecisset: rhetori\* duo, quasi te di-  
 sertū facere potuisset. Sed ad iter, Italiāq; redeamus. Dedu-  
 xisti coloniā Casilinū, quo Caesar ante deduxerat. Consului-  
 sti me per litteras de Capua tu quidē, sed idē de Casilino re-  
 spondissem: posse sūe, ubi colonia esset, eo coloniā nouā iure  
 deducere? negaui, in eā coloniā, quae esset auspicato dedu-  
 cta, dū esset incolumis, coloniā nouā iure deduci: colonos  
 nouos ascribi posse rescripsi. tu autē insolentia elatus, omni  
 auspiciorum iure turbato, Casilinū coloniā deduxisti, quo  
 erat paucis annis ante deducta, ut uexillū uideres, & ara-  
 trum circumduceres, cuius quidem uomere portam Capuae

P. B.



pane perstrinxisti, ut florentis colonia territorium minue-  
 retur. Ab hac perturbatione religionum aduolas in M.  
 Varronis sanctissimi, atque integerrimi viri fundum  
 P. 180. Cassinatem. quo iure? quo ore? eodem, inquires, quo in he-  
 redum L. Rubrii, quo in heredum. L. Turselij prædia,  
 quo in reliquas innumerabiles possessiones. Et, si ab ha-  
 sta, ualeat hasta, ualeant tabulae, modo Caesaris, non  
 tua: quibus debuisti, non quibus tu te liberauisti. Var-  
 ronem quidem Cassinatem fundum quis uenisse dicit? quis  
 hastam istius uenditionis uidit? quis uocem præconis audi-  
 uit? misisse te dicis Alexandriam, qui emeret a Cesare.  
 ipsum enim expectare magnū fuit. quis uero audiuit um-  
 quā (nullius autē salus cura pluribus fuit) de fortunis Var-  
 ronem rem ullam esse detractā? Quid, si etiam scripsit ad te  
 Caesar, ut redderes: quid satis potest dici de tanta impudē-  
 tia? Remoue gladios illos pari per, quos uidemus: iam intel-  
 liges, aliam causam esse hastæ Caesaris, aliam confidentiæ,  
 et temeritatis tua. nō enim te dominus modo illis sedibus,  
 sed quibus amicus, uicinus, hospes, procurator arcet. At  
 quam multos dies in ea uilla turpissime es perbacchatus!  
 ab hora tertia bibeatur, ludatur, uonebatur. O testis  
 ipsa misera, quā dispari domino! (quāquā quomodo iste do-  
 minus?) sed tamen quam a dispari tenebantur: studiorum  
 enim suorum M. Varro uoluit esse illud, non libidinum  
 diuersorium. quæ in illa uilla antea dicebantur: cogita-  
 bantur: qua litteris mandabantur: iura populi Romani  
 monumenta maiorum, omnis sapientia ratio, omnisque doctrina.  
 At uero, te inquilino, (nō enim domino) personabāt omnia  
 uocibus ebriorum: uatabant pauimenta uino: maderat pa-  
 rietes. ingenui pueri cum meritorijs, scorta inter matres fa-  
 milias uersabantur. Cassino salutatum ueniebant, Aquino,



Inter arma : admissus est nemo : iure id quidem. In homine enim turpissimo obsolebant dignitatis insignia. Cum inde Romam proficiscens, ad Aquinum accederet, obviam ei processit ( ut est frequens municipium ) magna sane multitudo. at iste operata lectica latus est per oppidum, ut mortuus. Stulte Aquinates, sed tamen inuia habitabant. quid Agnanini? qui, cum essent deuij, obviam ei descenderunt, ut illum, tamquam si esset consul, salutarerent. in: edibile dictu: sed tum nimis inter emnes constabat, neminem esse resalutum: praesertim cum duos secum Agnaninos haberet Mustelam, & Laconem: quorum alter gladiatorum est princeps, alter poculorum. Quid ego illas istius minas, contumeliasque commemorem, quibus inuictus est in Sidicinos? uexavit Puteolanos, quod C. Cassium, quod Brutos patronos adoptassent. magno quidem iudicio, studio, beneuolentia, caritate, non, ut te, ut Basilium, ni, & armis, & alios uestri similes, quos clientes nemo habere uelit, non modo esse illorum cliens. Interea, dum tu abes, qui dies ille collega tui fuit, cum illud, quod tu uenerari solebas, bustu in foro euerit? qua re tibi nuntiata, ut constabat inter eos, qui una fuerunt, concidisti. quid euenerit postea, nescio: metum credo ualuisse, & arma. Collegam quidem de caelo detraxisti: effecisti que non tu quidem etiam nunc, ut sit similis tui, sed certe, ut dissimilis esset sui. Qui uero reditus inde Romam? qua perturbatio totius urbis? meminimus Cinnam nimis potentem: Syllam postea dominantem, Casarem regnantem uideramus: erant fortasse gladij, sed tamen absconditi, nec ita multi: ista uero, que, & quanta barbaria est? agmine quadrato cum gladijs sequuntur scuti atque milites: scutorum lecticas portari uidemus. atque his quidem iam inueteratis, P. C. consuetudi



P. 181. tudine obduruimus. Calend. Iun. cum in senatum, ut erat constitutum, venire uellemus, metu perterriti repente dif- fugimus. at iste, qui senatu non egeret, neque desiderauit quemquam. & potius discessu nostro letatus est, statim illa mirabilia facinora effecit. qui chirographa Caesaris defendisset lucri causa, is leges Caesaris, easq; praeclaras, ut rep. concutere posset, euertit. numerum annorum provinciae prorogauit: idemq; cum actorum Caesaris defensor esse deberet, & in publicis, & in priuatis rebus acta Caesaris rescidit. In publicis actis nihil est lege grauius: in priuatis firmissimum est testamentum. Leges alias sine promulgatione sustulit: alias, ut tolleret, promulgauit: Testamentum irritum fecit, quod etiam infimis ciuibus semper obtentum est. signa, tabulas, quas populo Caesar una cum hortis legauit, eas hic partim in hortos Pompeij deportauit, partim in uillam Scipionis. Et tu in Caesaris memoria diligens? tu illum amas mortuum? quem is maiorem honorem consecutus erat, quam ut haberet puluinar, simulacrum, fastigium, flaminem? est ergo flamen, ut Ioui, ut Marti, ut Quirino, sic diuo Iulio M. Antonius. Quid igitur cessas? cur non inaugurare? sume diem: uide, qui te inauguret: collegasumus: nemo negabit. O detestabilem hominem, siue quod tyranni sacerdos es, siue quod mortui. Quæro deinceps, num hodiernus dies quis sit, ignores? nescis beuicquartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse, ut quintus prætereas dies Caesari tribueretur? cur non sumus prætextati? cur honorem Caesari tua lege datum deserui patimur? an supplicationes addendo, diem cõtaminari passus es? puluinaria noluisti? aut undiq; religionẽ tolle, aut usquequaq; conserua. Quæres placeatne mihi puluinar esse, fastigium, flami



nem? mihi uero nihil istorum placet. Sed tu, qui acta Cæsaris defendis, quid potes dicere, cur alia defendas, alia non cures? nisi forte uis fateri, te omnia quaestui tuo, non illius dignitate metiri. Quid ad hæc tandem? exspecto eloquentiam tuam, disertissimum cognoui animum tuum, at te etiam apertiore in dicendo, ille numquam concionatus est nudus: tuum hominis simplicis pectus uidimus. Respondebisne ad hæc aut omnino hiscere audebis? ecquid reperies ex tam longa oratione mea, cui te respondere posse confidas? Sed præterita omittamus, hunc unum diem, hunc unum, inquam, hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende, si potes. cur armatorum corona senatus septus est? cur me tui satellites cum gladiis audiunt? cur ualua Concordia non patent? cur homines omnium gentium, maxime barbaros Ithyreos cum sagittis deducis in forum? Præsidij sui causa se facere dicit. Nonne igitur milles perire est melius, quam in sua ciuitate sine armatorum præsidio non posse uiuere? Sed nullum est istuc, mihi crede, præsidium: caritate, & beneuolentia ciuium septum oportet esse, non armis. Eripiet, extorquebit tibi ista populus Ro. utinam saluis nobis: sed, quoquo modo nobiscum egeris, dum istis consiliis uteris, non potes esse, crede mihi, diuturnus. etenim ista tua minime auara coniux, quam ego sine contumelia describo, nimium debet diu populo Ro. tertiam pensionem. Habet populus Ro. ad quos gubernacula reip. deferat: qui ubicumq; terrarum sunt, ibi est omne reip. præsidium, uel potius ipsa reip. quæ se adhuc tantummodo uisita est, nondum recuperauit. habet quidem certe reip. adolescentes nobilissimos, paratos defensores. P. 182. quam uolent, illi cedant, otio consulentes, tamen à repu. reuocabuntur. Et nomē pacis dulce est, & ipsa res salutaris. sed inter pacem



cem & seruitutē plurimū interest. pax, est trāquilla liber-  
 tas: seruitus, postremū maiorū omniū, non modo bello, sed  
 morte etiam repellendū. Quod si seipsos illi nostri libera-  
 tores conspectu nostro abstulerant: at exemplum facti re-  
 liquerunt illi, quod nemo fecerat, fecerūt. Tarquiniū Bru-  
 tus bello est persecutus, qui tamen rex fuit, cum esse Romæ  
 regem licebat. Sp. Cassius, Sp. Melius, M. Manlius propter  
 suspicionem regni appetendi sunt necati. hi primi cum gla-  
 diis, non in regnum appetentem, sed in regnātem impetum  
 fecerunt, quod cū ipsum factum per se præclarum, atq; di-  
 uinum est, tum expositum ad imitandū: præsertim cū illi eā  
 gloriam consecuti sint, quæ uix celo capi posse uideatur.  
 Et si enim satis in ipsa consciētia pulcherrimū facti fructus  
 erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror con-  
 temnendam. Recordare igitur illum, M. Antoni, d. em, quo  
 dictaturam sustulisti: pone ante oculos laetitiam senatus, po-  
 puliq; Romani: confer cū hac in manum latione tua, tuorū  
 q; tum intelliges, quantum inter laudem, & luctū in-  
 ter sit. sed nimirum, ut quidā morbo aliquo, & sensus stu-  
 pore sua uitam cibi non sentiunt: sic libidinosi, auari, faci-  
 norosi, ueræ laudis gustatum non habent. Sed si te laus alli-  
 cere ad recte faciendū nō potest: ne metus quidem à sedis-  
 firmis factis potest auocare? Iudicia non metuis: si propter  
 innocentiam laudo: si propter uirum, non intelligis ei, qui isto  
 modo iudicia non timeat, quid timendum sit? Quod si non  
 metuis uiros fortes, egregiosque ciues, quod à corpore tuo  
 prohibentur armis: tui te, mihi crede, diutius non fe-  
 rent. Quæ est autem uita, dies, & noctes? timere à suis? nisi  
 uero aut maioribus habes beneficiis obligatos, quam ille  
 quosdam habuit ex iis, à quibus est interfectus: aut tu es  
 ulla re cū eo comparandus? fuit in illo ingenium, ratio, me-  
 mo



moria, luter & cura, cogitatio, diligentia: res bello gesserat,  
 quāuis reip. calamitas, att. mē magnas: multos annos re  
 gnare est med. tatus: magno labore, magnis periculis, quod  
 cogitauerat, effecerat: muneribus, monumentis, congiarijs,  
 epulis multitudine imperitā delinēbat: suos praenij ad  
 uersarios clementia specie delinēbat. Quid multa? attule  
 rat iam libera ciuitati partim metu, partim patientia, cō  
 suetudinem seruiendi. Cum illo ego te dominandi cupiditate  
 cōferre possim: ceteris uero rebus nullo modo cōparandus  
 es. Sed ex plurimis malis, qua ab illo reip. s. ut iniusta, hoc  
 tamē boni est, quod didicit iam populus Ro. quārum cuiq;  
 crederet, quibus se cōmitteret, a quibus caueret. Hae igitur  
 non cogitas? nec intelligis, satis esse uiris fortibus didicisse,  
 quam sit re pulchrum, beneficio gratum, fama gloriosum  
 tyrannum occidere: an, cum illum homines non tulerint, te  
 ferent? certatim posthac, mihi crede ad hoc opus curretur,  
 nec occasionis tarditas expectabitur. Respice, quāso, ali  
 quando remp. M. Antoni: quibus ortus sis, non quibuscum  
 uiuas, considera: me cū, ut uoles, cum rep. redi in gratiā. Sed  
 de te ipse uideris: ego de me ipso profitebor. defendi remp.  
 adolescens, non desiram senex: contempsi Catilinæ gladios,  
 non pertimescam tuos, quin etiam corpus libenter obtule  
 rim, si representari morte mea libertas ciuitatis potest: ut  
 aliquando dolor populi Rom. pariat, quod iam diu partu  
 rit. Etenim, si abhinc annos prope uiginti hoc in ipso tem  
 plo negaui posse mortem immaturam esse consulari, quan  
 P. 183.  
 to uerius nunc negabo seni? Mihi uero, P. C. etiam optā  
 da mors est, perfuncto rebus is, quas adeptus sum, quasq;  
 gessi duo modo hae opto: unū, ut moriēs populū Ro. liberum  
 relinqūā: hoc mihi maius a dijs immortalibus dari nihil po  
 test: alterū, ut ita cuiq; eueniat, ut de rep. quisq; mereatur.